

**Theologorum Hafniensium Brevis qvaedam Censura
praecipuorum Capitem De libro INTERIM.**

[195:] Quia praeceptum est, ne uerbo ueritatis ullo modo contradicatur,¹ nos ab omni errorum et contentionum studio quam alienissimi, candido solius
5 ueritatis amore permoti, ea, quae bona conscientia ueritati diuinae consentanea iudicamus, amplecti et cum timore Dei confiteri parati sumus. Quae uero a ueritate Dei uerbi dissentire perpendimus, quantumuis pulchra, speciosa ac pia appareant, eodem ueritatis studio damnare ac detestari decreuimus. Tum enim maxime nocet ueritas, cum contra suam naturam errori praetexitur et
10 mendacio seruire compellit.

De epistola.²

Agnoscimur publicam pacem, concordiam et tranquillitatem esse praeclara Dei dona, quibus conseruandis omnes homines summa diligentia studere tenentur,³ alioquin non esse dignos ut homines. Multo minus Christiani
15 uocentur eos iudicamus, qui pulcherrimae humanae societatis harmoniam temere turbare praesumunt. Sed hoc a nobis Deus auertat ut pulchrae pacis conseruationi, cum iniuria datoris et detrimento religionis unquam studeamus. Qualis enim quamue felix quam firma et diuturna pax a principe pacis Christo exspectari poterit, si uel aboleatur uel obscu-[196:]retur doctrina
20 euangelii uel religionis sinceritas corrumpatur, ut profligatae impietati locus in ecclesia detur? Hoc quid aliud esset quam praetexere et postulare pacem, ut bellum Deo inferri posset? Hoc reuera esset reges, principes, gentes et populos conuenire in unum aduersus Deum et Christum ipsius. Quodsi attentatum fuerit infeliciter successurum Dauid Psalmo II testatur.⁴ Eiusmodi
25 tamen aliquid liber Interim praefixa epistola moliri uidetur, dum suadet publicae pacis, quietis et unionis praetextu hoc scriptum uel ad tempus tolerandum, non impugandum, nihil contra scribendum uel docendum. Quo procul dubio futurum esset, ut et euangelium filii Dei corrumperetur ac manifesti errores atque abusus contra uerbum Dei, contra religionis integritatem inueherentur et confirmarentur. Quare potius hic tenendam scripturae
30 regulam arbitramur: „Deo magis quam hominibus oboedire oportet“⁵ quam ut propter praetextum publicae tranquillitatis aliquid temere uel impie contra doctrinam filii Dei concludere et humanis opinionibus, quae pacem ecclesiae nunquam restituere poterunt, consentire debeamus.

¹ Vgl. Tit 1,9.

² Vgl. Augsburger Interim, Vorrede, 29–37.

³ Vgl. Augsburger Interim, Vorrede, 29.

⁴ Vgl. Ps 2,1–4.

⁵ Act 5,29.